



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singulos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Megengaudius C. 19. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

vitutem illum dederant, coheredes illos suos peramanter excepisset, dignam natalibus suis mortem obiit. Sed amisit Ecclesia, vel cælo teste, tunc columnam suam. Imò non amisit; transtulit eò, ubi ipsa sese ædificat. *Ex Menais.*

An non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mundum abiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod gloriosius est, de seipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem? S. Bern. serm. i. de Omn. SS.

S. MEGENGAUDIUS C. 19. Decembris.

Illa demum vera nobilitas est, non pauciores virtutes, quàm ceras quæ potest numerare. Potuit MEGENGOR Geldiæ Comes, idemque fortissimus militum dux, & hoc nomine Imperatori Ottoni III. cum primis charus. E conjuge Gerbirge Zutphanienti item Comite cum filias iv. filium sustulisset unicum, hunc ipsum in primo ætatis flore, bello Bohemico amisit. Quid expectas? scilicet lacrimas vel armato Marti exprimendas, & dignos patre gemitus? viduos matris capillos, & lacerum planctu pectus? omnia alia audies. In funere filii mortuique vultu suum agnovere parentes, hoc est mortalem. Utique mortem lecturam maturos ætate fructus suos, quæ immaturos carperet: satis oppidò jam vixisse parentes, qui vixisse filium aspicerent. Convasare igitur MEGENGOR & in tuto locare impedimenta, opes, hoc est, in cænobio, cui Adelhaidem filiam præfecit, deponere; ipse quoque animo à mundo abesse, cum non posset corpore; castitatem deinceps cum conjuge colere; lectioni sacram literarum se dedere; denique in oculis nihil præter

præter mortem & æternitatem habere. Ita non imparatum hæc offendit anno ab obitu conjugis tertio. Mortuus filia primò visus est illa verba Vatis blandissimè effari, *Ecce moritur justus, & nemo recogitat*; tum alteri deinde è virginibus regio habitu fulgens nuntiansque MEGENGORIS nomen in MEGENGAVDII sibi mutatum esse. *Ex vitâ S. Adelhaidis & Molano.*

Christi humilitas nulli aspernanda divitum, nulli est erubescenda nobilium. Nec enim in tantum provehi potest quælibet felicitas humana fastigium, ut æstimet sibi pudendum, quod Deus in formâ servi non est arbitratus indignum. S. Leo serm. 1. de Resurr.

SS. AMMON ET SOC. MM.

20. Decembris.

Sub annum partæ salutis ccliii. Alexandriae eodem tempore in Christianos sævitum est, & in latrunculos animadversum; simili in longè dissimillimos supplicio. Fortè inter nomina horum nomen delatum est Genesii. Hic quòd extra culpam esset, facilè se purgavit. Sed dum à latrocinii suspitione absolvitur, ut Christianus accusatur. Hic nihil negare jam Genesius, gloriari hoc facinore. Latronibus igitur sociatus, pejusque his ipsis habitus igne crematus est. Hoc verò supplicii genere territus alius quispiam è Christianis, cum nutare non dubiis signis ad tribunal impium videretur, ecce AMMON, ZENO & PTOLEMÆVS (fortissimi milites) per medium agmen penetrare, & cum verbis non possent, nutu labantem ad constantiam hortari. Itaque jam oculis annuere, jam manibus loqui, jam lacrimis & gemitibus clamare, jam toto corpore supplicare, ne indignum